

No. 216. 1443. 24. Juli.

Das Thomaskloster beurkundet, welche Verpflichtungen und Leistungen die Stadt bei Uebergang des Georgenhospitals an dieselbe (No. 204) übernommen habe.

Nos Burekardus de Kempnicz praepositus, Nicolaus Sutoris prior totusque conventus monasterii sancti Thomae in Lipczk ordinis sancti Augustini canonicorum regularium Merseburgensis diocesis tenore praesentium publice recognoscimus coram universis et singulis tam praesentibus quam futuris, quod licet hospitale sancti Georgii¹⁾ extra muros opidi Lipczk ante portam Ranstetensem eiusdem opidi situatum ad nos nostrumque monasterium cum omnibus suis iuribus fructibus et redditibus hucusque pertinuerit et pertinere dinoscitur pleno iure, quia tamen cives Lipczenses exilitatem supradicti hospitalis considerantes, reddituum tenuitatem ac pauperum inibi degentium atque confluentium egestatem, ad instaurationem ac ampliationem eiusdem hospitalis pio desiderio aspirabant et ad hoc perficiendum nobis quam frequenter magna cum instantia supplicabant, ut ad hoc, quod idem locus, quem in structuris praecipue vellent ampliare redditusque pro pluribus debilibus ac valitudinariis inibi per eos videlicet colligendis ac amore dei victualibus revocillandis uberius instituere, per operam eorum atque contributionem celebrius fundaretur, consentire dignaremur ipsisque supradictum locum elargire, nos tam rationabili instantia ac pio desiderio permoti, praehabita deliberatione, consensu etiam et voluntate omnium quorum intererat aut quorum consensus fuerat requirendus accedente, supradictum hospitale praememoratis civibus tradidimus in suo fundo dumtaxat, prout in quadam alia littera ipsis a nobis super hoc alias donata luculentius continetur, in hunc tamen finem, ut pium affectum, quem super hac re conceperant, deducant in effectum conditioneque tali servata diligenter, ut antiqui eiusdem hospitalis redditus et census in pecuniis fructibus bladis pratis et aliis apud nos nostrumque monasterium sicut hucusque sic et in antea remaneant inconvulsi. Volumus etiam ut ob refragerium animarum et memoriam eorum, qui supradictum hospitale fundaverunt, perpetuis deinceps temporibus ebdomodatum duae missae videlicet quarta et sexta feriis sub summa missa in altari trium regum in monasterio nostro per dominos nostri conventus celebrentur, pro quibus duabus missis in laborum recompensam atque fratrum recreationem dicto nostro conventui de censibus eiusdem hospitalis unam sexagenam novam, praesertim quadraginta duos grossos de uno prato sito retro secus hospitale, quod duo fratres dicti Attirbusch pro nunc tenent et possident, et viginti grossos de uno horto, quem²⁾ providus Heinricus Beher opidanus opidi Lipczk habet et possidet, annuatim assignamus perpetuis in antea temporibus ab ipsis annuatim percipiendos; duo tamen grossi superflui cedent domino praeposito. Item statuimus volumus et ordinamus anniversarium honorabilis viri domini Johannis Hobach quondam Misnensis ecclesiae canonici, qui altare supradicti hospitalis aliquamdiu habuit in commisso nostroque monasterio in ultimo agone suo legavit quatuor libros, videlicet

1) Or. Gorgii. 2) Or. quod.